# AMPLISSIMIS VIRIS,

## Præclarè tum de republica, tum literaria Meritis,

D. IACOBO STUARTO a Kirkfield, Equiti Aurato, Civitatis *Edinburgi* Consuli Spectatissimo,

D. D. *Joanni Binnio, Patricio Thomsono, Roberto Faulisio,* & *Roberto Locarto,* Prætoribus Æquissimis, *Georgio Sutæo* Ædili Vigilantissimo, *Joanni Liddello* Quæstori fidelissimo, cæterisque inclytæ civitatis Senatoribus,

Academiæ *Edinburgenæ* Patronis æternum honorandis,

Theses has philosophicas, pro quibus in solenni Diatribâ in Auditorio Publico ejusdem Academiæ, die JULII 1650.( sub Præsidio THOMæ CRAFORDII Math. P. )pro virili stabimus, D.D.C.Q;

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Adamus Gibsonus* | *Georgius Kintorus* | *Gulielmus Semplius* | *Iacobus Narnius* | *Ioannes Locartus* | *Patricius Hepburnus* |
| *Alexander Gibsonus* | *Georgius Locartus* | *Iacobus Brusius* | *Iacobus Pringlæus* | *Ioannes Sophocardius* | *Patricius Verus* |
| *Alexander Scotus* | *Gulielmus Andersonus,* | *Iacobus Faulisius* | *Ioannes Benedictus* | *Ioannes Scotus* | *Robertus Hopperus* |
| *Alexander Spotsvodius* | *Gulielmus Augustinus* | *Iacobus Gillonus* | *Ioannes Hammiltonus* | *Ioannes Spotsvodius* | *Robertus Paludanus* |
| *Archibaldus Inglisius* | *Gulielmus Cocheranus* | *Iacobus Inglisius* | *Ioannes Humius* | *Ioannes Stephanides* | *Robertus Vallas* |
| *Carolus Cambellus* | *Gulielmus Penmannus* | *Iacobus Knoxus* | *Ioannes Kidæus* | *Ioannes Morus* | *Thomas Iacchæus* |
| *David Sylvius* | *Gulielmus Sandilandius* | *Iacobus Millerus* | *Ioannes Lauderus* | *Kentigernus Benedictus* | *Thomas Schelæus.* |

## THESES LOGICÆ.

SCientia, Prudentia, & Ars sunt infimæ Species Qualitatis.

2. Quæ vulgo statuuntur differentiæ harum divisivæ, non sunt verè specificæ: quia petuntur ab extrinseco; puta, objecto, fine, &c.

3. Logica quamvis ex pluribus partialibus habitibus conflata, coalescit tamen in unum numero habitum.

4. Et singulæ istæ partes possunt esse distincti habitûs: quemadmodum pars lineæ linea esse potest.

5. Logica nec aggregatum est, nec simplex habitus. Idem intellige de cæteris mentis habitibus.

6. Nec tamen divisio Logicæ in partes procedit in infinitum, ut Quantitatis.

7. Logica non est principium operandi in eo cui inest, per se (sic enim esset Natura) sed per accidens; ut fit in Medico curante seipsum.

8. Unitas producta ab intellectu concipiente, necessario est singularis: quia omnis productio terminatur ad singulare.

9. Ergo naturam conceptam denominabit singularem, non universalem.

10. Si è duobus aquæ cyathis utriusque triens infundatur in tertium cyathum, mutantur differentiæ individuales: permanet tamen eadem essentia. Sic cum lamina secta est in plures laminas.

11. Ergo eadem essentia est indifferens ad plures differentias individuales.

12. Si Ens præscindat à Substantia & Accidente, erit ens simpliciter; adeoque Substantia.

13. Aut nullus est communis conceptus Entis, aut Accidens est Substantia.

14. Accidentis *esse* est *inesse.* Inhærentia tamen non est essentia.

15. In rigore tres tantum sunt categoriæ.

16. Verbum a Nomine non differt specie (immo Verbum omne Nomen est) sed Nomini duo superaddit, adsignificationem temporis, & *συνθεσιν.*

17. Futurum contingens est, respectu causæ tantum proximæ, non adæquatæ; quæ primam etiam includit.

18. Propositio de futuro contingente est determinatè vera: eadem non est determinatè vera

19. In Syllogismo notitia propositionum est causa notitiæ conclusionis, si illa formaliter spectetur & relativè: ad quod requiritur consideratio mentis de formali necessitate sequelæ.

20. Hinc est quod sæpe quis majorem & minorem cognoscat materialiter, qui tamen conclusionem ignorat.

21. Assensus conclusioni habitus simul est cum assensu habito præmissis: posteriùs tamen producitur.

22. Conclusio est effectus non pars Syllogismi.

23. Syllogismus ex falsis, cognitis ut falsis, syllogismus non est, nisi homonymos.

24. Non omnis syllogismus est aut Dialecticus, aut Demonstratio, nempe *ὅτι* vel *διότι.*

25 Syllogismus ex causa virtuali non est demonstratio; sed demonstratione perfectior.

## THESES ETHICÆ.

POlitica & Prudentia sunt idem habitus, non tamen rectè dicitur habere idem subjectum.

2 Non ens ut sic ne Metaphorice quidem movere potest appetitũ.

3. Ergo *non esse,* aut omnino malum qua malum, non appetitur.

4. Politica imperat omnibus disciplinis, non habitibus, non scientiis: sed hæ illi.

5. Nulla vitæ pars officio vacat (ut ait *Tullius*) & proinde frustra litem Aristoteli moverunt Stoici, quasi felix interdum fiat non felix ex ejus sententiâ.

6. Homo felix nunquam non bene agit.

7. Felicitas Activa & Speculativa sunt partes integrantes, non species felicitatis,

8. Felicitas activa in abstracto non est felicitas.

9. Etiam virtus Stoica sine gratiâ sanctificante malum est.

10. Nihil impedit bona fortunæ esse simpliciter bona, licet alicui sint mala.

11. Inconsultè Pavonius contendit temperantem e. g. agere scientem & præeligentem formaliter. Sic enim non tantum in voluntate sed in intellectu etiam esset temperantia, reliquæque virtutes morales.

12. Agens ex cognitione, quod maximè necessario agit, liberrimè agit.

## THESES PHYSICÆ.

TOta quantitas est æterna: & quælibet quantitas de novo producitur.

2. Sola quantitas educitur ex potentia materiæ: nulla vero alia forma accidentalis; multo minus substantialis.

3. Ut Deus gloriosus agit immediatè per essentiam, sic materia prima per essentiam immediatè patitur: adeoque potentia est de essentia materiæ.

4. Hæc potentia duntaxat passiva est & receptiva: adeoque nihil confert ad originem formarum.

5. Sapienter Aristoteles Acroaseos 8. textu 32. asserit gravia & levia respectu motûs principium habere non movendi sed patiendi.

6. Gravitas tamen & levitas eliciunt motum, non ut instrumenta gignentis &c. sed formæ gravium & levium.

7 Omne corpus naturale suum finem & perfectionem operando naturaliter assequitur.

8. Cœlum ergo movetur in orbem ex naturâ particulari.

9. Ergo non omnis motus localis est *ad ubi* simpliciter.

10. Per densitatem in elementis plures partes materiæ sunt sub æquali mole; contra per raritatem.

11. At Astra densiora sunt, non propter plures partes materiæ, sed formæ, sub æquali mole.

12. Hoc apparet ex eo quod elementa, quo rariora, sint magis activa, at Astra quo densiora. Actio enim est a forma.

13 Ratio *amissibilis* & *inamissibilis* est accidentalis formæ physicæ.

14. Eidem puncto unius lineæ respondent duo puncta terminantia duarum linearum contiguè applicatarum.

15. Sic eodem instanti extrinseco materia est & sub forma corrumpendi, & sub forma geniti (alioqui ad tempus aliquod materia esset informis) diversa tamen sunt instantia intrinseca.

16. Substantia est immediatum principium agendi in actione substantiali.

17. Misti, qua talis, forma substantialiter contemperatur ex formis Elementorum.

18. Anima est architecta sui domicilii.

19. Ad modum tamen artificis producentis formam accidentalem, non generantis substantialiter.

20. Semen ergo est corpus Organicum, saltem implicite.

21. Ergo hic actus non est ante suam potentiam.

## THESES METAPHYSICÆ.

TOtus habitus scientiæ (in Metaphysicâ, Physicâ & Mathesi) specie unus est: tantum disciplinæ propter docendi commoditatem ex diversitate principiorum latifundia sua distinguunt.

2. Frustra se torquent Interpretes in primæ Philosophiæ finibus regundis ex unitate subjecti.

3 Ea ergo quæ ex naturæ principiis (materiâ, formâ, motu) doceri non possunt, sunt considerationis Metaphysicæ.

4. Paucis: ens immateriale vel secundum essentiam vel indifferentiam.

5. Et materia & forma ideo est causa, quia est pars essentiæ compositi: quod utraque præstat per suam essentiam.

6. Utriusque ergo causalitas est ipsa earum essentia; non unio, quæ sequitur tantum has causalitates.

7. Actio est effectus efficientis.

8. Non ergo est ejus causalitas.

9. Causalitas omnis efficientis in tali gradu est ejus entitas.

10. Adæquata causalitas efficientis est entitas concurrens omnium partialium & inadæquatarum efficientium.

11. Causalitas finis in actu est bonum sufficiens & proportionatum movendæ voluntati ad sui adeptionem.

12. Singulæ causæ a reliquis separatæ causæ tantum sunt homonymos.

## THESES MATHEMATICÆ.

OMnes demonstrationes *διότι* de Quanto commodiùs extruuntur vel in Metaphysicâ, vel in Physicâ.

2. Mathesis tamen est verè Scientia resolvens omnes suas conclusiones in illas demonstrationes potissimas.

3. Angulus Contingentiæ nullam partem demit de angulo recto.

4. Angulus semicirculi recto æqualis est.

5. Angulus contingentiæ quantitas non est.

6. Acus Magneticæ extremitas sponte deorsum inclinat: omnemque Meridianum intersecat præter Azoricum.

7. Non ergo trahitur a polo. Sed punctum aliquod in terrâ sub Meridiano Azorico respicit.

8. Nimis diu desideramus artificis alicujus solertiam, qui *μηκοδειξεως* rationẽ hinc in apricum proferat.

EDINBURGI, Excudebat Gedeon Lithgo,
Academiæ EDINBURGENÆ Typographus. 1650.